



*Epistola
in actionem*

Vic. Schavenii &

Laur. Niislaus.
1600.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 356 4*





Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 356 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 356 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 356 4^o

Nicol. Laurentii Aretander.

46.-15.

DA BOX



LN 356


M

EPICEDIA
IN OBITVM REVE-
RENDORVM, ET CLARISSI-
MORVM VIRORVM,

M. NICOLAI SCHAVENII PRO-
FESSORIS PHYSICI IN ACADE-
mia Regia Hafniensi, Soceri
sui Dilecti,

ET
DN: LAVRENTII NICOLAI F.
ARCHIDIACONI NIDROSIENSIS
& Pastoris Ecclesie, quæ est in Stoor-
dalen, patris sui longè
carissimi, scripta


N: L: A: N.



HAFNIÆ
Impressit Iohannes Stockelman.

1600.

legit Arbibus 1600



REVERENDIS VIRIS VIR-
TVTIBVS ET LITERIS
PRAESTANTIBVS,
*Sincerisq; Christi
ministris,*

DN: SAMVELI ET DN: NICOLAO
LAURENTII F. F. FRATRI-
bus suis plurimum colendis:

ET

DN: ERICO MAGNI F. IN
OVIGEN TOTIVS IEMPTIÆ
Præposito: Et Dñ. MATTHIÆ
VILHELMI F. Sororij
suis Carissimis,

Hæc Epicedia D. C.

N: L: A: N.



EPICEDIVM,
CLARISSIMO VIRO,
DN: M. NICOLAO SCHAVENIO,
PHYSICÆ PROFESSORI IN ACADE-
mia Hafniensi Celeberrimo, Socero
suo, dum vixit carissimo,
Scriptum

N: L: A: N.

REbus in humanis nil est durable, casu
Cuncta ruunt subito, rapidisq; feruntur habenis
In formas alias. Lætis successibus aucta
Prosperitas cedit: Subeunt aduersa dolorq;

Tempora labuntur, taciteq; cadentibus annis,
Pallida mors rumpit fugientis stamina vitæ.
Non secus unda tumens, veniente impellitur vnda,
Urgeturq; eadem fluctus urgetq; priores,
Quam crux dura crucem, morbi contagia morsq;
Excipit, in mundi pelago, pressatq; cruentis
Cladibus, & seuis pavitantia pectora damnis.

Falee metens rigida, nam cum detrudit ad umbras
Mortales, nulli parcit, nec regibus æqua
Magnanimus, vulgoûe leui, rapit omnia cæca
Dextera, & incendit spatiosum luctibus orbem.
Nil prodest virtutis honos, nil nomen auorum
Eximium, nec opes, aut gentis celsa propago.
Nil iuuat egregias didicisse fideliter artes,

A 2

Aus

*Aut varios hominum mores, peregrinaq̄ regna
Per mare, per terras, longo lustrasse labore:
Lege sed æquali rapiunt mortalia parca,
Stat sua cuiq̄ dies, & inexorabile fatum
Quemq̄ manet, nullis flectendum rebus in orbe.*

*Scilicet hoc tristes nuper conspeximus, urna
Cum clausus, tenui mandaret membra sepulchro
Frigida, prostratus crudeli fulmine mortis*

*NICOLEOS pietate grauis, studijsq̄ magister,
Natus ante SCHAVIA cui dederat clari cognominis usum.
NO 1515. A puero siquidem, veræ virtutis amore*

*Aurea castalidum studiosè castra secutus
Militiamq̄ togæ, diuinis dotibus auxit
Ingenium felix, artes vigiliq̄ labore
Doctifonus, rectè Cyclo quas iungimus uno,
Complexus studijs, gratæ præconia laudis
Commeruit, scanso Parnassi vertice montis.
Nocturna quoniam legit, voluitq̄ diurna
Sedulitate libros, veterum monumenta Sophorum,
Quos tulit aut Latium, doctrinæ aut Græcia mater.
Nam velut Hyblææ volucres cum tempora nocte
Purpurei fuerint veris, camposq̄ patentes
Et sudum cælum, saltus sylvasq̄ peragant
Continuò: Dulcesq̄ metunt per mollia prata
Flores: & teneris viridantia flumina labris
Libant: ac hyemis metuentes frigora canæ,
Crura thymo plenæ, notis alimenta reponunt*

Sub

Sub tectis, & prima fauis fundamina stipant,
Mellifluis paruas replentes nectare cellas:
Sic quoq̄ SCHAVENIVS lustravit amœna vireta
Doctorum, variasq̄ Scholas, & culta Lycæa,
Ut summam studijs Aretes conscenderet arcem,
Diuitijs animumq̄ suum cumularet opimis,
Gustaretq̄ sacros latices Aganippidos undæ.

Hafnia testis erit regum fortissima sedes,
Leucoræq̄ Deæ testes quas sedulus annos
Excoluit, septem venerandi ex ore Lutheri
Dum Christum didicit, diuini dumq̄ Philippi
Vsus amicitia, tam sancto ex pectore sanctum
Hausit doctrinæ thesaurum: Gallia testis
Diues erit. Quoniam populosa Lutetia vidit
Assiduis iuuenem lustro impallescere Chartis.
His in Apollineis doctissima lumina templis,
SCHAVENIVS veluti magno sectatus amore est:
Nobilibus pueris qui TAVRI insignia RVBRI
Gestarunt clypeo, generoso stemmate creti.
Sic documenta dedit, præclaris artibus illos
Erudiens, quorum, tam longo tempore, sumptu
Diuite, lustravit studijs peregrina Lycæa.

Interea physicos etiam spatiat in agros,
Abilita naturæ didicit mysteria vafre,
Dum varios obitus rerum rimatur & ortus,
Et quo causarum procedant ordine cuncta.
Vranicæ cæli docuit cognoscere leges

A 3

Astro

Hafniam
venit cir-
ca annum
1540.
Viteber-
gam, An-
no 1543.
In Galli-
am, An-
no 1550.

Afchyli,
Torber-
ni & Io-
hannis
Oxorum
Præcep-
tor.

Astrorumq̄ situs: Atq̄ hinc prædicere certo
Omne, qui motus agitabunt aëra: Quando
Sint expectande pluuie: Quandoq̄ serena
Tempora: Quando æstus & agentes frigora venti.

Namq̄ suis alis ad cælos ampla Mathesis
Transtulit: & numeris vti, spatijq̄ theatrum
Mensurare dedit mundi, tribuente repertis
Successus Eratō proprijs, aurasq̄ benignas.

Vnde per ingenuas tantum caput extulit artes,
Quantum dura solet saxosis montibus ornus,
Et paruas inter pinus procera myricas.

Anno 1555. Vnde etiam reducem decorauit honore magistri
Hafnia: moxq̄ locum titulis Academia dignum
Addidit, ut celebris iucunda Mathemata primum
Traderet, ingenti sectantūm fœnore Musas.
Post maior successit honos, & messis aristis
Plenior, vt phisicas tractaret sedulus artes,
Naturæq̄ vias operum, causasq̄ latentes
Monstraret rerum, cælo quas procreat orbis
Æthereus: quas pontus habet sub fluctibus vdis:
Omni feroq̄ sinu tellus fœcunda repandit.
Hic labor ad Septem se extendit lustra, Scholæq̄
Profuit, & turbæ clariis quæ militat aruis,
Irriguae quantum pluuie vernantibus agris.

Rector Interea binis Reëtoris munus obibat
Academię Magnificum vicibus, gratus pietate, fideq̄,
Año 1566. Iusticiaq̄, Deo, & cunctis mortalibus æque,
& 1584.

Nam

Nam pietate patrem veneratus pectore summum,
 Credidit in CHRISTI meritis delicta piari
 Sordida, ut immundi detergit corporis unda
 Limpida faetores, niueum praebetq; colorem.
 Sobria vita fuit famosi criminis expers:
 Non scelus aut vitium sublimia pectora fregit.
 Conscia mens recti, semper iustiq; boniq;
 Observans, placidam tribuebat, honore, senectam,
 Quae suffulta stetit, melioris gaudia vitæ
 Expectans, nullis unquam peritura diebus.
 Non tulit has tantas virtutes inuida parca:
 Non tulit eximias laudes, vitamq; beatam
 SCHAVENII, nullis maculatam sordibus atris:
 Sed subitas inimica manus armauit acutis
 Mortiferisq;, secant aui quæ stamina, telis.
 His instructa, virum petijt nil tale verentem,
 Prostravitq; necis morbofo vulnere victum,
 Vulnere dum Christi meditatur corde fideli,
 Parta salus mundo quibus est: dumq; inuocat ore
 Æternum postrema trabens suspiria IOVAM,
 Certus in excelsas sedes migrare salutis.

Cur non NICOLEON seruasstis, dicite Musæ
 Palladis arte ducem nulli virtute secundum?
 Heu pietas, heu sancta fides, fatalia fila
 Irrita parcarum cur non fecistis, ut ille
 Degeret incolumis, qui vestra altaria thure
 Ornavit, donec spirantes duceret auras?

Obijt 13.
 Aug. An-
 no 1590.
 Etatis ve-
 ro 75.

Scili.


Scilicet hoc vobis non mors sed vita videtur,
Si pius in Christi quiescens spes, fideq,
Sanguine saluifico, mundi quo crimina soluit,
Corporis exuuias placidè deponat, & artus
Inferat extinctos tumulo, defessa cubili
Non secus ac suavi mandantur corpora somno.
His nam parva quies dulcis; gratusq; malorum
Exitus: immensis optata doloribus aura
Contigit: ac tristes portum inuenere labores.
Non diuturna, sed est mortalis vita diurna:
Plena dolis & plena malis: crudelis ubiq;
Luctus, ubiq; pavor, miseris præcordia curis
Redit, & anxietas, et plurima mortis imago.

Sed cum fata pijs præsentis lumina mundi
Eripiunt, mæsti cessant suspiria cordis:
Et dolor & gemitus cælestibus exulat oris.
Spiritus astra colit, superum lætissima regna,
Contuituq; Dei, diuino numine plenus,
Perpetuus fruiturq; bonis: quæ tormine nullo
Interrupta cadunt: nullos peritura per annos,
Æterno constant sanctis molimine fixa.
Membra sed exilis terreno cespite tumba
Concludit, socius donec calor ossa reuisat:
Primaq; vitales repetant collegia sensus:

Et cælum scandant animas comitata priores.
Non igitur descendus erit madidisue piandus
SCHAVENIVS lachrymis, rutili qui culmen Olympi
Nunc

*Nunc habitat: Lætusq; Deo nunc mille triumphos
 Concinit, expectans vt pigra cadauera bustis
 Mox educta cauis, animæ socientur, in æuum
 Æternum victura simul: celsiq; Tonantis
 Aspectu, in superum tectis fruitura perenni.
 Nunc igitur, venerande Socer, venerande valetō,
 Mecum iterent Musæ geminatis voce triumphis:
 Viuite cum Christo felices, viuite manes:
 Et celebris volitet virtutum fama per orbem.
 Viuite cum Christo felices, viuite manes.*

**EPICEDION ALIVD EIIVS-
 DEM AVCTORE
 Eodem.**


*On homines bumilis terræ sunt pignora; Cælum
 Est patriæ sedes, & pater ipse Deus.
 Hospitium miseris præbet mortalibus agrum,
 Assiduisq; malis terra nouerca premit.
 Quot morbi? Quot sunt casus? Quam densa malorum
 Agmina prorumpunt, & sine fine ruunt?
 Quot variata vices fortuna repandit iniquas?
 Quam rapidis alis tempus & hora fugit?
 Quot fraudum technæ? Quot sunt discrimina rerum?
 Insidiis quantis secula cuncta patent?
 Hinc laqueos tendit mundus: Sed Dæmonis illinc
 Retia fallacis sunt metuenda bonis.*

B

Paus


Pauperies, morbi, terrent, & luridus Orcus:
 Noctes atq̄ dies mors inopina furit.
 Migrandum est aliquando pijs rutilantis Olympi
 In patriam, patrem quæ tenet, ergo, Deum,
 Fletibus ut vivant tersis, habitentq̄ beati
 Perpetuo, innumeris regna referta bonis.
 Nam Deus excelsis est omnibus omnia solus
 In Cælis, summâ leticiaq̄ beat.
 Illustres tangunt animas ibi tormina nulla;
 Nulla aduersa truci corda dolore grauant.
 Nunc igitur felix, nunc terq̄, quaterq̄, beatus
 SCHA VENIVS, patrio qui videt axe Deum.
 Qui videt axe Deum, fato sublimior omni,
 Non duros casus, non mala sæua videt.
 Non tristes sortes, non fata immania fata,
 Quæ miseros homines exagitare solent.
 Sed patriam repetens, resolutus membra quiete,
 Viuida viuaci gaudia mente capit.
 Dum vixit CHRISTO vixit: Cælestia quærens,
 In summum posuit spemq̄ fidemq̄ Deum:
 Naturæq̄ vias docuit, celsamq̄, Matthesin,
 Clarus, vbi medijs Hafnia surgit aquis:
 Interea socij iungens pia fœdera lecti,
 Fœcundi aspexit pignora quinq̄, thori.
 Pignora quinq̄, parens vidit, senosq̄, nepotes,
 Ac neptes, senj gaudia, vidit auus.

Sed

Sed placidè postquam complevit tempora vitæ,
 Et tacito subijt mors inimica pede,
 Corpus humo, mentemq̃ Deo, famamq̃ celebrem
 Terrigenis mandans, cum moreretur ait;
 Sum **CHRISTI** viuens, cedunt mea funera **CHRISTO**,
 Qui pro me soluit debita lytra patri,
 Non tristes vitæ casus, non flebile mortis
 Sic iunctos fatum, dissociare potest.
 Si rumpant igitur fatalia stamina Parca
 In Cælis tecum, **CHRISTE**, beatus ero.
 Quis mæstis igitur flendum putet esse querelis,
 Est cui fama solo, vitaq̃, parta polo?
 Nos potius cineres veneremur honore sepultos,
 Æterni mentem cum colat aula Dei.
SCHAVENII manes, vos, ò Saluete Beati,
 Sedibus atbereis, mensq̃, recepta vale.

EPITAPHIUM.

Arces naturam, **CHRISTVM**, mortemq̃ mina.
 Ingenio, rerum methodo, pietate, fideq̃ (cem
 Egregio, facili, verè stabiliq̃, bonaq̃
 Qui didicit, docuit, coluit, tandem superauit,
NICOLEOS tumulo iacet hoc post fata sepultus,
SCHAVIA cui dederat præclarum nomen **Fortum**.



B 2

ΕΡΗΘΩΔΙΑ

ΕΡΜΑΔΙΩ.
**IN OBITVM REVERENDI
ET ORNATISSIMI VIRI,
Dñ. LAURENTII NICOLAI F.**

Archidiaconi Nidrosiensis, Patris
sui longe carissimè,

Ad
Fratres & Sororios suos plurimum
colendos.

Obijt 19.
IXbris,
Año 1595.



*lx Magdalena matris optimæ sacras
Umbras sepulchrum texerat:
Vix ora fletibus pijs maudentia
Absterfa, ocelliꝰ humidi:*

*Priscum recrudescit nouato vulnere
En vulnus, ac cor sauciat.*

*Nam sicut atra nox, diēsꝰ lucidus,
Se conseqvuntur inuicem:*

*Ac sauiunt fluctus & aura mutuo,
In aestibus vasti maris:*

*Aduersitas sic vna trudit alteram,
Cruceꝰꝰ crux acerbior.*

N*Am Luna nondum menstruis compleuerat
Annum cadentem cornibus,*

Obijt 9.
IXbris,
Año 1596. *Post coniugem cum mors secat LAURENTII
Nostri parentis stamina,
Qui NIDROSÆ in lucem editus claris fuit
Parentibus. Nam consulis*

Munus

Munus pater cum lude primus gesserat
 Hoc oppido, postquam ultimus
 Episcopus, quem Papa collocauerat
 Scelestus, illinc fugerat,
 Ceu fœda aus tandem auolare cogitur,
 Turbata nidulo suo.
 Post rasum enim procul fugatum antistitem,
 Rex CHRISTIANVS Tertius,
 Nunquam satis laudatus, aptè iusserat
 Creari in vrbe consules,
 Rempubicam, regisq̄ qui negocia
 Curare possent sedulo,
 Quos inter ex prætorè, noster est auus
 Consul creatus primitè.

BYRRHITA mater sed patris **LAVRENTII**
 Honestæ & ortu, & moribus
 Matrona erat, quæ cum marito filium
 Rectè educavit & piè.
 Tenello enim Dei Timoris semina
 Primum indidit domi: Scholis
 Exinde sacrauit, sacris vt artibus
 Mentem poliret, integer
 Vita, caueretq̄ indecentes seriò
 Mores, Deo rectè agnito.
 Nam sicut hortos qui colunt, hi plantulis
 Iungunt nouellus stipites,

B 3

Vi

Nicolaus
 Laurentij
 i. Consul
 Nidrosiæ,
 Olaus In-
 gelberti
 Archiepi-
 scopus
 Nidros. fu-
 git, Anno
 1537.

*Vt fulciantur, letiusq; germinent:
Sic sunt tenella pectora
Formanda praeceptis pijs, & artium
Fideliter scientijs,
Crescant vt annis, viuidis virtutibus,
Ac dotibus clarissimis,
Summo quibus Deo, suaeq; patrie,
Fruetus ferant gratissimos.*

LAURENTIUS natalis haud soli Scholis
Contentus, ergo ad extreras
Se contulit, doctasq; longo tempore
Musas sequutus HAFNIAE,
Praeclara vbi constructa sunt Apollini
Magnis Lycea a regibus:
Audiuit hic autem viros doctissimos
Cum diligentia graui.
Nam rustici sicut metendi tempore,
Sudore multo colligunt
Fruges opimas, & reponunt horreis,
Vt inde victum comparent:
Sic ille diligenter intentus fuit
Laboribus, laudabili
Cura libros voluens, reuoluensq; acriter;
Et eruditus vsus est
Viris, vt e nouem Sororum fontibus,
Large rigaret pectora.

Verum

Verum ducem se præbuit domesticum,
Discendi in hoc conamine,
Is CHRISTIANVS, iactitat quo **MORSIA**
Se multum alumno: gloria
Quiq̄ infima haud fuit chori celebrium
Doctorum in arte, quæ parat
Succos salubres, pharmacisq̄ mitigat
Ægri dolores corporis.
Domestica huius namq̄ consuetudine,
Et educatione vsus
Noster parens est: profuit, quæ non minus
Ad excolendum, litteris
Pectus, bonis, quàm fructibus nascentibus,
Terrâ solet Solis calor.

Mvsis relictis Hafniensibus, lares
Ad patrios vocatus est,
QVERNESSIANAM, vt pabulis, Ecclesiam,
Verbi salutis pasceret,
Optatus in collegium simul, **CANON**
Cui contulit nomen vetus.
Vt arce custos autem in edita situs
Noctu, dieq̄, peruigil
Prospectat, hostes irruant vt nuspam
Damna inferentes ciuibus:
Vocationis sic obibat munera,
Fidus fide **LAVRENTIVS**,

Legis

*Legis malos coarguens grauiſſimis
Sententijs: & fulciens
Promiſſionibus bonos dulciſſimis,
Fractasq; mentes erigens,
In CHRISTI ouile peſſimus perrumperet
Ne dux cohortis inferæ,
Lupi rapacis inſtar aut degluberet,
Eius redemptos ſanguine.*

ERgo fideli in hoc reperto munere
Maior data eſt prouincia,
Benignitate enim paterna Numinis
Euectus eſt primarium

Archidia- Ad dignitatis (ciuitate in patria)
conus ca- Gradum, Sacri collegij,
pituli Ni- Qui dicitur Græcis, miniſtrandi (vt putant)
droſienſis A partibus prioribus.
creatus
circa an- Simulq; paſtor conſtitutus eſt gregis,
num 1570. Qui rus colit STORDALIVM.

LAURENTIUS vero probauit, munere
Vtroq; ſic ſuam fidem,
Carus DEO, bonisq; vt eſſet omnibus,
Spartam ſuam ornans plurimum.
Supremum enim DEVM timens, Sectatus eſt
Normam, ſacra quam pagina
Proponit, in rebus gerendis omnibus,
Opus quod arte conſtruunt

Vc

Vt architecti dirigunt ad regulam,
Parcens labori neutiquam,
Id quod studendum erit pijs mortalibus,
Verbi lucernam vt præuiam
Diuini, in optimis sequantur actibus,
Placere si curæ est Deo.
Nam fabula vt iucunda, sic vita & fluens,
Non quàm diu, sed quàm bene
Sit acta refert. Cogitans **LAVRENTIVS**
Hoc ergo, virtutis viam,
Ingressus est iter per arduum, sacro
Se cultui dedens **DEI**.

ET cum pudica castitas sit maximum
Sanis decus mortalibus:
(Hac perdita nam, ceteri mores, pili
Non æstimantur vnus.
Sicut reuulso vultu imaginis, manus
Quem docta finxit affabrè,
Nullum decorem possidet post/ulptilis
Truncus relictæ corporis.)
Hic coniugale ad vinculum maturius
Mentem quoq; applicauerat.
Florens iuuenta adhuc sibi desponderat
Nam **MAGDALENAM** virginem
Castam, piam, decentibusq; moribus
Spectabilem, parentibus

Nuptiæ
celebratæ
Año 1554.

Quæ

C

Dñ. Sig-
uardus
cantor
Nidros.

Quæ traxit ortum ex optimis. SIGVARDIVS

Nam dignitate præditus

CANTORIS, in collegio, quod NIDROSÆ est,

Hanc filiam susceperat

Ex MARGARITA, fœmina castissima.

Hac ergo cum LAVRENTIVS

Annos quater denos & amplius, pio

Sic egit in thoro: dies

Solos mariti vt computauerit, sue

Vitæ beatos terminos.

Nam sensus vnus, & cor vnum, coniugi

Viriq; semper extitit.

Etsi mala incidere, casus vel graues,

Hæc mutuo leuamine

Sic mitigârunt, vt solent se corporis

Curare partes inuicem.

Idcirco Nummis suprema gratia,

Lecti fuerunt fœdera,

Et prospera, & fœcunda, natis liberis

Bis octo. Sed parentibus,

Nos quinq; non vltra sumus supstitites,

Horum gementes funera.

*N*Am qui prius matrem verendam luximus,

Nunc patrem ademptum plangimus.

Graui senex prostratus ægritudine,

Necisq; victus spiculis,

Cunctis

Cunctis enim dixit vale mortalibus
Ad regna scandens cœlica:
Sed morte felici ac facillima tamen,
Ceu filij solent DEI.
Nam spontè fructus sicut arborum cadunt
Maturitatis tempore:
Feliciter migrare sic pij senes,
Benignitate Numinis,
In patriam cœli, Solo solent nece
Miti relicto: tradere
Deoq; spiritum suâ fideliter
Custodiendum dexterâ,
Declanxerit postrema donec cœlitus,
Sono valente, buccina,
Vt mortui, sepulcra linqunt horrida
Nouoq; surgant corpore.
Sic optimus parens caducos exuens
Artus, id assequutus est,
Quod suauè nomen indicat LAURENTII,
Ex LAURO habens originem.
Namq; hostibus victis pia fiducia, &
CHRISTI iuuantis robore,
Lauro triumphali, fauore Numinis
Olympici donatus est:
Et mille LAURIGER triumphos concinit,
Beatus in regno Dei,

Deum supremum, & Angelorum splendidos
Choros, videns cum gaudio.

Non ergo terra tantum abest à culmine
Cæli; nec atræ discrepant

Noctis tenebræ à fulgido tantum die;
Quantum beata cœlicis

Sors in locis, eius beatitudines
Has fragiles ac fluxiles

Mortalium præcellit omnium, colunt
Qui in orbe luteas domos,

(Securus etsi mundus illas vnice
Miretur, & querat nimis.)

Non flendus ergo est amplius rubentibus
Noster parens ocellulis,

Qui cum Deo ter Maximo perenniter
Viuat triumphans, fletibus

Tersis & oblitis: putet ne quispiam
Malus, patri carissimo

Nos inuidere hæc gloriosa gaudia,
Priuata propter commoda.

Ergo dolere si libet, nos plangere
Sic nostra damna possumus,

Quæ, falce dira, mors inexorabilis,
Parente sublato, intulit,

Vt mortuo congratulemur interim
Felicitem maximam,

Dica.

Dicamus & longum, genis humentibus,
 Vale parenti: vos sacri
 Saluete manes, & valete perpetim:
 Laudata virtus per volet
 Mortalium latè per ora: molliter
 Sed sub sepulchri marmore
 Duro, quiescant ossa, donec ultimo
 Die redibunt viuida
 Ad spiritum, qui fulget inter Sydera,
 Illic simul quo splendeant
 Nitentis instar Solis, aut Stellæ, iubar
 Que spargit orbi lucidum.
 Saluete manes & valète, Spiritus
 Vinat polo, virtus solo;
 Sed corpus expectet diem nouissimum,
 Quo prodeat cum gloria.



C 3

EPI-

EPITAPHIVM.

Memorie & Virtutibus

REVERENDI ET ORNATISSIMI
VIRI, Dñ. LAURENTII NICOLAI F.
QVONDAM ARCHIDIACONI NIDRO-
siensis, & Pastoris Ecclesiarum Stoordalensium
fidelissimi, qui in Domino placidè ob-
dormivit die 9. M: IXbris, Año
Salutis 1596. ætatis ve-
rò suæ 69.

Ac

PIENTISSIMÆ, LECTISSIMÆQVE
MATRONÆ MAGDALENÆ SIGVARDI F.
conjugis ejus desideratissimæ, quæ cum in conjugio
tranquillo ac XVI. liberis fœcundo vixisset
41. Años, & menses 7. vita cum morte com-
mutata, in cœlestem patriam emi-
gravit, die 19. M. IXbris, Año
Domini 1595. ætatis
verò suæ 59. P.



*R*ædera quos lecti iunxerunt sacra iugalis,
In terris donec vita superstes erat.
Hos nunc parva tegit coniunctos cespite tumba,
Spiritus ætherea viuat in arce licet.
Consule natus enim patriæ LAURENTIVS vrbis
NICOLEO, hoc posuit mortua membra loco.
Qui pavit, coluit, superavit, pastor ouile
CHRISTI, IOVAM, hostes, dogmate, corde, fide,
Et

Et Canonis quæ nomen habent Collegia factis
 Nidrosi.e ornauit, consilioq̄ graui.
 MAGDALA SIGVARDI soboles quoq̄ iuncta marito
 Quæ vitam sanctè duxit in orbe piam. (est,
 Nam venerata fuit, coluit, fouitq̄, Tonantem,
 Atq̄, virum miseros, pectore, amore, bonis.
 Octo lustra, magisq̄ viro sociata, sed octo
 Bis sacri peperit pignora chara thori.
 Exuias hic claudit humus, sed coniugis alto
 Mens vtriusq̄ polo nescia mortis ouat.
 Quisquis es hæc relegens, tacitus labentibus annis,
 Disce mori, viuo viuere disce Deo.

ALIVD EORVNDENI
 EPITAPHIVM.



Vos iunxerat prius iugale vinculum
 In vita, amorq̄ mutuus,
 Annos quater denos, & amplius, breui
 Post fata in vrna claudimur.

LAVRENTIVS nam sum minister publicus,
 Qui tradidi verbum Dei
 Sincerè in hoc templo, locisq̄ pluribus;
 Ornatus in collegio,
 Canon dedit cui nomen antiquarium,
 Natali in vrbe Nidrosiæ
 Primariaq̄ dignitate olim fui,
 Colens Deum vita integra.

Pastor
 Stordali-
 ensis.
 Archidia-
 conus
 collegij
 canonico-
 rum Ni-
 drosiæ.

Hospes

*Hospes, comesq; autem sepulchri hic vnus
EST MAGDALENA, ceu prius
Tori fuit consors, honestis moribus
Deo placens, viriq; amans.
Dignissimis nam Christiana fœmina
Donata erat virtutibus,
Et prole, fœcunda, octies dupla, patrem,
Iuuante, me fecit, Deo;
Tandemq; fatis functa, dum fideliter
CHRISTVM redemptorem inuocat,
Exspectat hic mecum futuram, corpore
Surgente rursus, gloriam.*

**Parentibus optimè
meritis**

Filius mæstissimus

**N: L: A: N.
P.**



